

nerit Codex, liquet e clausula miniata: *Iste liber est emptus ad expensas magistri Cholomanni In probstorf*, cujus abrador non aliud conatus sui pretium tulit, quam ut curiosi lectoris in indagandis literarum vestigiis patientiam exerceret.

CCXCVIII.

R. 2279 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 122. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricis distinctus, et quondam *Monasterij Sancte Dorothee in wienna*, quod Collegium Canonicor. Reg. S. Aug. fuit, continet *Explanationem S. Hieronymi in Jeremiam Prophetam*. Initium Prologi est: *Post explanationem duodecim prophetarum esaye. danielis. et ezechibelis &c.* Sequuntur omnes VI. Libri cum suis ad *Eusebium Praeloquiis*, ut Edit. *Vallars. T. IV. col. 833.* textu Prophetae literis majusculis exarato, correctione tamen multum infra Edita.

II. fol. 90. p. 2. continuo *Expositio beati Jeronimi in lamentationes Jeremie*. Libris III. quorum I. de primo et secundo *Alphabeto*, II. de tertio *Alphabeto*, III. de quarto *Alphabeto*, quibus accedit *Oratio Jeremie* et demum *Clausula miniata: Explicit liber commentariorum beati Jeronimi in ieremiam*. Serione haec? Certe; si *Longii Bibliothecam sacram* audis, quae T. II. *Paris. 1723. p. 1122.* inter *Scriptores in Threnos* refert *Hieronymum*, et p. 776. dum *Editionem Martianaeam* recenset,

Tomo III. adsignat Commentarios in quinque Prophetas Majores et in Threnos Hieremiae. At enim frustra tu Tomum illum adieris. Nullus in *Lamentationes* scripsit *Hieronymus*, qui curis, valetudine, senio praepeditus ne de ipsa quidem Prophetia plus ad nos transmissit, quam XXXII. priorum *Capitum Explanationem*. Quo igitur nostram referemus? Ne te teneam, sume in manus *Tomum IV. Opp. Hraban Mauri edit. Colon. 1626. f.* eamque reperies *Commentariorum ejus in Hieremiam* postremos III. *Libros XVIII. XIX. et XX.* a pag. 136. constituentem. Licet vero imposturam suspicari. Initium Praefationis in *Editis B. Hieronymi* meminit. Multis igitur lineis omissis *Librarius* noster ibi demum orsus est: *Habes in lamentacionibus ieremie quatuor alphabeta &c.* Ita et sub finem in iis verbis stitit: *In qua uniuersitate nimirum et ipsi iudei comprehendantur; ratus fortasse multa illa, quae in Editis sequuntur, recentiora Hraban tempora nimium redolere.*

CCXCIX.

R. 2277 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 258. f. maj. paene quadro per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, coloribus illustratus, et quondam, ut praescribitur, *Monasterij Sancte dorothee vienne*, titulum habet: *Incipit expositio sancti Jeronimi presbiteri in ezechielem prophetam*. Praeit Prologus ad *Eustochium*